

425. Sergius II. natione Romanus ex patre Sergio sedit annis 3, mensibus 2, et cessavit episcopatus diebus 15. Hic vocabatur Os Porci, unde ab isto inantea omnes proprium nomen mutaverunt. Iste Lodovicum^b imperatorem coronavit.

V. 20, 243.

Leo V. natione Romanus ex patre Dualdo^d sedit annis 8, mensibus 3, diebus 6, et cessavit episcopatus diebus 6. Huius^f tempore Adulphus rex Anglorum, 5 qui primus totius Anglie optinuit monarchiam, devocionis causa venit Romam et coram Leone papa optulit tributum sancto Petro de unaquaque domo argenteum nummum^g in anno, et hoc tributum usque hodie perseverat.

Hic^h pontifex catholicus multe paciencie multaque humilitatis divinarum scripturarum extitit ferventissimus perscrutator, vigiliis et oracionibus semper intentus. Hic primum a parentibus ob studia 10 litterarum in monasterio sancti Martini confessoris iuxta ecclesiam beati Petri apostoli positus fuit, ubi non solum in sciencia, sed etiam in conversacione tamquam perfectus monachus profecit. Hunc post Sergius papa presbiterum faciensⁱ titulum Sanctorum Quatuor sibi assignavit. Sed papa factus Sarra- ceni cum magna multitudine venissent, et ecclesias Petri et Pauli penitus spoliantes, cum redirent in Affricam, in alto pelago submersi sunt. Hic Leo civitatem, quam Leo IV. in circuitu ecclesie beati Petri inceperat, ipse in 5 annis perfecit. Hic in ecclesia beati Petri sepultus est. Cuius festum agitur 15 17. Kal. August.

426. Quo Sergio mortuo etiam necdum sepulto, Leo unanimiter a Romanis in summum pontificem est electus. Qui mox factus pontifex sancti Petri et sancti Pauli basilicas et alias ecclesias, quas Sarra- ceni paulo ante omnino devastaverant et spoliaverant, honorifice restauravit. Hic pro Neapolitanis in mari contra Sarra- 20 cenos pugnantis orando collectam fecit: 'Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulans in fluctibus'.

Et postquam muros civitatis Leoniane perfecerat, apponendo seras postis et orando, dixit illam collectam: 'Deus, qui beato Petro collatis clavibus' etc. Illi autem Sarra- ceni, qui cum magna multitudine Romam venerant, postquam spoliatis ecclesiis Petri et Pauli 25 redire vellent in Affricam, in alto pelago sunt submersi. Propter hoc papa civitatem, quam Leo IV. circa ecclesiam sancti Petri inceperat, ipse celeriter perfecit^k. Sepultusque est in ecclesia sancti Petri. Cuius festum agitur 17. Kalendas Augusti.

V. 21, 244.

Deodatus natione Romanus ex monacho de patre Iabiano sedit annis 4, mensibus 2, diebus 5, et cessavit episcopatus mensibus 4^b, diebus 15. Hic tante benignitatis fuit, 30 ut omnem hominem a maiore usque ad minorem ad se venientem consolatum dimitteret.

Post hunc Leonem Iohannes Anglicus natione Maguntinusⁿ sedit annis 2, mensibus 7^o, diebus 4^p, et mortuus est Rome^q, et cessavit papatus mense 1^r. Hic, ut asseritur, femina fuit, et in puellari etate Athenis ducta a quodam amasio suo in habitu virili, sic in diversis scienciis profecit, ut nullus sibi par invenire- 35 tur, adeo ut post Rome trivium legens magnos magistros discipulos et auditores haberet. Et cum in Urbe vita et sciencia magne opinionis esset, in papam^s concorditer eligitur. Sed in papatu per suum familiarem impregnatur. Verum tem-

a) 834 in 7, ut papissa inseri possit. b) sic 1. 5. A. A. Rich.; Lotharium *rell.* c) sic A. A. B. Cenc.; Radualdo cum *Gestis pont. complures codd. C, ut 5. 8. 10.* d) mens. 3 des. 1. e) *al.* 40 *calam. in A.* f) numum 1. A. g) *al. rursus calam. in A.* h) faciens *fol. 18 in A.* i) *incept 1, corr. man. post* Propter — *perfecit des. in complurib. codd. C, ut 7. 9. 10. 11, qui pergunt: Leo vero papa Rome moritur et in ecclesia s. Petri sepelitur, cuius etc.*

1) *Sec. Gesta pont. Eadem vide sub Lothario I. imperatore.* 2) *Haec ex breviori narratione Richardi confecta videntur. Cf. etiam bullam excommunicationis spuriam apud Baro- 45 nium, Ann. eccles. a. 407, n. 23.* 3) *Hoc etiam infra sub Bonifacio I. ex Gestis pont. legitur.* 4) *Haec tradit Vinc. XX, 35. de concilio Chalcedonensi.* 5) *maioris — pre- sepe ex Bonizone.* 6) *Neque in Isidoro neque in Paulo talia leguntur.*